



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

5. Trajani Coclis. Duilli rostrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

ARTICVLVS V.

COLVMNÆ HISTORICÆ.

*Traiani Coclis.**Duilli Rostrata.*

Voco historicas, in quibus sculpi & effingi solent artificis periti manu, res domi militiaeque cum insigni roboris & constantiae laude gestae à clarissimis belli Ducibus, & Imperatoribus; quales multae etiamnum supersunt in diversis orbis terrarum partibus. Unam alteramque adferamus in medium, Fuit olim Romae Forum Traianum, inter Capitolium, Quirinalem montem, & Augusti forum: erat autem illud Traianum cinctum porticu magnifica, ingentibus Columnis fulta, Apollodoro Architecto, adjunctus erat Arcustriumphalis; quorum hodie ne vestigium quidem extat, apparet tamen, omnium instar, ingens *Columna Coclis*, quae Traiani dicitur, & Imperatoris maiestatem, ac populi Romani magnificentiam ostentat. Alta est pedes cxxviii. cum basi vero cxl. lapidibus structa xxiv. tantae vastitatis, ut opus videatur, non ab hominibus, quales sunt modo, sed à Gigantibus profectum. Singuli lapides gradus octo continent: per hos ascenditur. Lumen praebent fenestellae xliv. Caelatae autem sunt in Columna per gyrum, res gestae Caesaris Traiani bello Dacico, aliisque militaribus expeditionibus. Nihil unquam terrarum admirabilius, nihil magnificentius videri censent Antiquarii, qui merces suas, supra omnem fidem, ut vendat, solent

solent extollere. Similem usum observo in *Columna*, quæ hodieque superest Romæ, in palatio conservatorum, & *Rostrata* dicitur, habetque prisca seculi inscriptionem C. DUILLI, cui de Carthaginensibus bello Punico Victori posita fuit.

AD geminum usum in Domo Sapientiæ, & Edificio spirituali Virtutum statuitur *Columna Fortitudinis* ab uno latere, & ad alterum *Perseverantiæ*. Præterquam enim, quod superiorem Domus partem sustollant, ac sustentent, sunt Monumenta, in quibus artificiosius, quam in Traianâ, Millium Christi fortissimorum, & invictissimorum Imperatorum certamina cælata exhibentur. In his Columnis legetur sculptura, sculptura-ve, aut incisione expressum, quomodo non quidem rabidum Leonem, cum Hercule, aprum-ve immanem superaveris, aut mactaveris Hydram septicipitem, sed violentiam in teipso inclusam, feramque deviceris iracundiam. Quomodo non aves sagittis dejeceris, sed cupiditates avidissimas, ut rapacissimas volucres, represseris. Quomodo non Amazonem bellatricem fugaveris, sed pudoris famæque debellatricem libidinem abegeris. Quomodo non Regium Augiæ stabulum perpurgaveris, sed vitia de corde proprio eo perniciosiora, quo magis domestica & propria egeris. Quomodo iram continueris, omnes animi motus rationi subegeris, cuncta carnis desideria spiritus virtute frenaveris: proprias voluntates abjeceris contemptis visibilibus, ea quæ non videntur, generoso mentis impetu, appetieris, amaveris, insequutus fueris. Hæc similiaque Christianis Heroibus digna facinora in Columnis Fortitudinis & Perseverantiæ, non in aliis leguntur.

(**)

ARTI-